



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput III. De Doctrina veritatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

Si vis utiliter aliquid scire, & discere: ama nesciri, & pro nihilo reputari.

4. Hæc est altissima & utilissima lectio, sui ipsius vera cognitio, & despectio.

De seipso nihil tenere, & de aliis semper bene & alte sentire magna sapientia est & perfectio.

Si videres alium aperte peccare, vel aliqua gravia perpetrare, non deberes te meliorem æstimare, quia nescis, quamdiu possis in bono stare.

Omnes fragiles sumus, sed neminem fragiliorem teipso tenebis.

CAPUT III.

De Doctrina veritatis.

I. **F**elix, quem veritas per se docet, non per figuras & voces transeunt, sed sicuti se habet.

Nostri opinio, & noster sensus sæpe nos fallit, & modicum videt.

Quid prodest magna cavillatio de occultis & obscuris rebus, de quibus
nec

nec arguemur in iudicio, quia ignoravimus?

Grandis insipientia, quod neglectis utilibus & necessariis ultro intendimus curiosis & damnosis: Oculos habentes, non videmus.

2. Et quid curæ nobis de generibus & speciebus?

Cui æternum Verbum loquitur, a multis opininibus expeditur.

Ex uno verbo omnia, & unum loquuntur omnia: & hoc est principium, quod & loquitur nobis.

Nemo sine illo intelligit, aut recte iudicat.

Cui omnia unum sunt, & omnia ad unum trahit, & omnia in uno videt, potest stabilis corde esse, & in Deo pacificus permanere.

O veritas Deus! fac me unum tecum in charitate perpetua.

Tædet me sæpe multa legere, & audire: in te est totum, quod volo & desidero.

○ Taceant omnes Doctores; fileant universæ creaturæ in conspectu tuo, tu mihi loquere solus.

3. Quanto aliquis magis sibi unitus, & interius simplicatus fuerit, tanto plura & altiora sine labore intelligit; quia desuper lumen intelligentiæ accipit.

Purus, simplex, & stabilis spiritus in multis operibus non dissipatur: quia omnia ad Dei honorem operatur, & in se otiosus ab omni propria ex-quisitione esse nititur.

Quis te magis impedit & molestat, quam tua immortificata affectio cordis?

Bonus & devotus homo opera sua prius intus disponit, quæ foris agere debet.

Nec illa trahunt eum ad desideria vitiosæ inclinationis, sed ipse inflectit ea ad arbitrium rectæ rationis.

○ Quis habet fortius certamen, quam qui nititur vincere seipsum?

Et

Et hoc deberet esse negotium nostrum, vincere videlicet seipsum, & quotidie seipso fortiozem fieri, atque in melius aliquid proficere.

4. Omnis perfectio in hac vita, quamdam imperfectionem sibi habet annexam; & omnis speculatio nostra, quadam caligine non caret.

Humilis tui cognitio, certior via est ad Deum: quam profunda scientiæ inquisitio.

Non est culpanda scientia, aut quælibet simplex rei notitia, quæ bona est in se considerata, & a Deo ordinata: sed præferenda est semper bona conscientia, & virtuosa vita.

Quia verò plures magis student scire, quam bene vivere: ideo sæpe errant, & pæne nullum, vel modicum fructum ferunt.

5. O si tantam adhiberent diligentiam, ad extirpanda vitia, & virtutes inferendas, sicuti ad movendas quæstiones: non fierent tanta mala,

& scandala in populo, nec tanta dissolutio in Cœnobiis.

Certe adveniente die iudicii non quæretur a nobis quid legimus: nec quam bene diximus, sed quam religiose viximus.

Dic mihi, ubi sunt modo omnes illi Domini & Magistri, quos bene novisti, dum adhuc viverent, & studiis florerent?

Jam eorum præbendas alii possident, & nescio, utrum de eis cogitant. In vita sua aliquid esse videbantur, & modo de illis tacetur.

6. O quam cito transit gloria mundi! Utinam vita eorum scientiæ ipsorum concordasset, tunc bene studuissent, & legissent.

Quam multi pereunt per vanam scientiam in seculo, qui parum curant de Dei servitio!

Et quia magis eligunt magni esse quam humiles, ideo evanescunt in cogitationibus suis.

Vere magnus est, qui magnam habet charitatem. Ve-

Vere magnus est, qui in se parvus est, & pro nihilo omne culmen honoris ducit.

Vere prudens est, qui omnia terrena arbitratur ut stercora, ut Christum lucrifaciat.

Et vere bene doctus est, qui voluntatem Dei facit, & suam voluntatem relinquit.

CAPUT IV.

De providentia in agendis.

I. **N**on est credendum omni verbo, nec instinctui; sed caute & longaminites res est secundum Deum ponderanda.

Proh dolor, sæpe malum facilius, quam bonum de alio creditur & dicitur, ita infirmi sumus.

Sed perfecti viri non facile credunt omni enarranti, quia sciunt infirmitatem humanam ad malum proclivem, & in verbis satis labilem.

2. Magna sapientia non esse præcipitem in agendis, nec pertinaciter in propriis sensibus stare.